

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem eiusque discipulos! Tempus hoc advenit... Haberi et tractari a Religionis ministris tanquam impium et indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate et zelo quodam Religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passio est excaecatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei et doctrinae Iesu Christi magis opponitur, quam communia facere iuramenta in Ecclesia: quia hoc est multiplicare occasiones peierandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

Declaratae et damnatae tanquam falsae, captiosae, male sonantes, piarum aurium offensivae, scandalosae, perniciosae, temerariae, Ecclesiae et eius praxi iniuriosae, neque in Ecclesiam solum sed etiam in potestates saeculi contumeliosae, seditiosae, impiae, blasphemae, suspectae de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, nec non haereticis et haeresibus ac etiam schismati faventes, erroneae, haeresi proximae, pluries damnatae ac demum haereticae, variasque haereses et potissimum illas, quae in famosis Iansenii propositionibus, et quidem in eo sensu in quo hae damnatae fuerunt acceptis, continentur, manifeste innovantes respective.

NUM. XV.

Propositiones 5. de duello, damnatae a Benedicto XIV, Constitutione Detestabilem etc. 10 Nov. 1752.

1. Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abiectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse securam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiae, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.

4. Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum,

ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, iustitia aperte denegatur.

Damnatae ac prohibita tanquam falsae, scandalosae, ac perniciosae.

NUM. XVI.

Propositiones 85. Synodi dioecesanæ Pistoriensis, damnatae a Pio VI, Constitutione Auctorem Fidei etc. 28 Augusti 1794, quas integra exhibetur.

Sanctissimi Domini nostri Domini Pii divina Providentia Papae Sexti damnatio quamplurium propositionum excerptarum ex libro italico idiomate impresso sub titulo Atti e decreti del Concilio diocesano di Pistoia dell'anno 1786, in Pistoia per Atto Bracali stampatore vescovile con approvazione, cum prohibitione eiusdem libri et aliorum quorumcumque in eius defensionem tam forsitan editorum quam imposterum edendorum.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei
universis christifidelibus salutem et apostolicam benedictionem.

Auctorem fidei, et consummatorem Iesum aspicientes, nos iubet Apostolus (1) sedulo recogitare qualem quantamque ille sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne laboribus et periculis defatigati deficiamus aliquando animis nostris, peneque concidamus. Hac saluberrima cogitatione muniri nos ac refici tum maxime necessarium est, cum adversus corpus ipsummet Christi, quod est Ecclesia (2), dirae istius nec unquam desiturae coniurationis aestus acrius exardescit: ut a Domino confortati, et in potentia virtutis eius, scuto Fidei protecti, resistere possimus in die malo, et omnia tela iniquissimi ignea extinguere (3). In hoc sane motu temporum, in hac rerum perturbatissima conversione, gravis est quidem bonis omnibus contra omnes cuiusque generis christiani nominis hostes colluctatio subeunda: gravior nobis, quibus, pro credita Pastoralis nostrae sollicitudini Gregis totius cura et moderatione, maior cunctis christianae Religionis zelus incumbit (4). Verum in hac ipsa

(1) *Ad Hebr. XI.*

(2) *Ad Coloss. I.*

(3) *Ad Ephes. VI.*

(4) *S. Siricius, ad Himerium Tarraconensem epist. apud Coustant.*

oneris gravitate, quae humeris nostris imposita est, *portandi onera omnium qui gravantur*, quo magis conscii nobis sumus infirmitatis nostrae, eo firmiorem in spem erigit nos et sublevat apostolici huiusce muneris in persona beati Petri divinitus instituta ratio, ut, qui semel tradita sibi a Christo Ecclesiae gubernacula nunquam derelicturus erat, ipse apostolicae gubernationis onera in illis portare non desineret, quos ei Deus protegendos perpetua successione ac tuendos heredes dedisset.

Et in hisce quidem aerumnis, quae undique circumstant, ad caeterarum molestiarum velut cumulum accessit, ut, unde oportuerat nos gaudere, maiorem inde tristitiam hauriremus. *Quippe cum aliquis sacrosanctae Ecclesiae Dei praepositus sub sacerdotis nomine ipsum Christi populum a tramite veritatis in praeceps deviae persuasionis avertit, et hoc in amplissima Urbe; tum plane est geminanda lamentatio, et maior sollicitudo adhibenda* (1).

Fuit sane non in ultimis terris, verum in media luce Italiae, sub oculis Urbis, et prope Apostolorum limina, fuit Episcopus duplicis Sedis honore insignis (Scipio de Ricciis, antea Episcopus Pistoriensis et Pratensis), quem ad nos pro Pastoralis munere suscipiendo accedentem paterna charitate complexi sumus: qui vicissim nobis atque huic apostolicae Sedi in ipso sacrae suae ordinationis ritu debitam fidem et obedientiam solemniter iurisiurandi religione obstrinxit.

Atque is ipse, non longo intervallo posteaquam a complexu nostro cum osculo pacis dimissus ad commissas sibi plebes accessit, coacervatorum perversae sapientiae magistrorum fraudibus circumventus eo coepit intendere, ut, quam superiores Antistites ex ecclesiastica regula laudabilem et pacatam christianae institutionis formam iam pridem invexerant ac pene defixerant, non ille pro eo ac debeat tueretur, coleret, perficeret, sed contra per speciem fictae reformationis importunis inducendis novitatibus perturbaret, convelleret, funditus everteret.

Quin etiam, cum et hortatu nostro ad Synodum dioecesanam animum adiunxisset, prae fracta eius in suo sensu pertinacia effectum est, ut, unde remedium aliquod vulnerum petendum erat, inde gravior perniciēs enasceretur. Sane postquam Synodus haec Pistoriensis e latebris erupit, in quibus aliquamdiu abdita delituit, nemo fuit de summa Religione pie sapienterque sentiens, qui non continuo adverterit, hoc fuisse auctorum consilium, ut, quae antea per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina sparserant, ea in unum velut corpus compingerent, proscriptos dudum errores exsuscitarent, apostolicis quibus proscripti sunt decretis fidem auctoritatemque derogarent.

(1) *S. Coelestinus I*, epist. 12. apud Coust.

Quae cum cerneremus, quo graviora sunt per se se, tanto impensius Pastoralis nostrae sollicitudinis opem efflagitare; mentem convertere non distulimus, ad ea capienda consilia, quae surgenti malo vel sanando vel comprimendo accommodatiora viderentur.

Atque in primis, sapientis moniti memores Praedecessoris nostri B. Zosimi (1) *ea quae magna sunt, magnum pondus examinis desiderare*, Synodum ab Episcopo editam primum quatuor Episcopis aliisque adiunctis e clero saeculari theologis examinandam commisimus: tum et plurium S. R. E. Cardinalium aliorumque Episcoporum Congregationem deputavimus, qui totam actorum seriem diligenter perpenderent, loca inter se dissita conferrent, excerptas sententias discuterent, quorum suffragia coram nobis voce et scripto edita excepimus; qui et Synodum universe reprobendam, et plurimas inde collectas propositiones, alias quidem per se se, alias attendita sententiarum connexionem plus minusve acerbis censuris perstringendas censuerunt. Quorum auditis perpensisque animadversionibus, illud quoque nobis curae fuit, ut selecta ex tota Synodo praecipua quaedam pravarum doctrinarum capita, ad quae potissimum fusae per Synodum reprobandae sententiae directe vel indirecte referuntur, in certum deinceps ordinem redigerentur, eisdemque sua cuique peculiaris censura subiiceretur.

Ne vero ex hac ipsa tametsi accuratissime peracta sive locorum collatione sive sententiarum disquisitione pervicaces homines obtrectandi occasionem arriperent; ut huic forte iam paratae calumniae obviam iretur, sapienti consilio uti statuimus, quod in emergentibus huiusmodi periculosis noxiisve novitatibus reprimendis plures nostri sancti Praedecessores, tum et gravissimi Antistites, ac generales etiam Synodi rite cauteque adhibitum, illustribus exemplis testatum commendatumque reliquissent.

Norant illi versutam novatorum fallendi artem, qui, catholicarum aurium offensionem veriti, captionum suarum laqueos persaepe student subdolis verborum involucris obtegere, ut inter discrimina sensuum (2) latens error lenius influat in animos, fiatque ut, corrupta per brevissimam adiectionem aut commutationem veritate sententiae, confessio, quae salutem operabatur, subtili quodam transitu vergat in mortem. Atque haec quidem involuta fallax disserendi ratio, cum in omni orationis genere vitiosa est, tum in Synodo minime ferenda, cuius est haec laus praecipua, eam in docendo dilucidam consecrari dicendi rationem, quae nullum offensionis periculum relinquat. Quo in genere proinde si quid peccatum sit, hac nequeat, quae afferri solet, subdola excusatione defendi, quod, quae

(1) *S. Zosimus*, epist. 2. apud Coust.

(2) *S. Leo Magnus*, epist. 129. edit. Ballerin.

alicubi durius dicta exciderint, ea locis aliis planius explicata aut etiam correcte reperiantur: quasi procaz istaec affirmandi et negandi ac secum pro libito pugnandi licentia, quae fraudulenta semper fuit novatorum astutia ad circumventionem erroris, non potius ad prodendum quam ad excusandum errorem valeret: aut quasi rudibus praesertim, qui in hanc vel illam forte inciderint partem Synodi vulgari lingua omnibus expositae, praesto semper essent alia quae inspicienda forent dispersa loca, aut his etiam inspectis satis cuique facultatis suppeteret ad ea sic per se se componenda, ut, quemadmodum perperam isti effutiunt, erroris omne periculum effugere valerent. Exitiosissimum profecto insinuandi erroris artificium, quod in Constantinopolitani Antistitis Nestorii litteris iam olim sapienter detectum gravissima reprehensione Praedecessor noster Coelestinus (1) coarguit: quibus nempe in litteris vestigatus veteratur ille, deprehensus, et tentus, suo se multiloquio labefaciens, dum vera involvens obscuris, rursus, utraque confundens, vel confiteretur negata, vel niteretur negare confessa. Ad quas depellendas insidias, nimium saepe omni aetate renovatas, non alia potior via inita est, quam ut, iis exponendis sententiis quae sub latibulo ambiguitatis periculosam suspiciosamque involvunt discrepantiam sensuum, perversa significatio notaretur, cui subesset error quem catholica sententia reprobarat.

Quam et nos moderationis plenam rationem eo libentius amplexi sumus, quo magis ad reconciliandos animos et ad unitatem spiritus in vinculo pacis adducendos (quod favente Deo in pluribus gaudemus iam feliciter evenisse) magno fore adiumento prospeximus, providere primum ne pertinacibus (si qui supererunt, quod Deus avertat) Synodi sectatoribus integrum sit posthac ad novas turbas eiendas, iustae suae damnationis consortes veluti ac socias sibi adsciscere scholas catholicas, quas invitas plane ac repugnantes, per detortam quamdam affinium vocabulorum similitudinem, in expressa quam illae testantur sententiarum dissimilitudine, in partes suas pertrahere nituntur. Deinde, si quos imprudentes aliqua fefellit adhuc praeconcepta mitior opinio de Synodo, his etiam omnis conquerendi locus praecludatur, qui, si recta sapiunt (ut videri volunt), aegre ferre nequeant doctrinas damnari sic denotatas, quae errores praeseferant a quibus ipsi profitentur se longissime abesse.

Necdum tamen satis ex animo lenitati nostrae factum putavimus seu verius charitati quae urget nos erga Fratrem nostrum, cui, omni ope volumus, si adhuc possumus, subvenire (2). Charitas nempe illa urget nos, qua inductus Praedecessor noster Coelestinus (3), etiam contra fas,

(1) *S. Coelestinus I*, epist. 13. num. 2. apud Coust.

(2) *S. Coelestinus I*, epist. 14. ad populum CP. num. 8., apud Coust.

(3) Epist. 13. ad Nestor. num. 9.

seu maiori quam fas esse videretur patientia, sacerdotes corrigendos expectare non abnuebat. Magis enim cum Augustino Milevitanisque Patribus volumus et optamus homines prava docentes *Pastorali cura in Ecclesia sanari, quam desperata salute ex illa resecari, si necessitas nulla compellat* (1).

Quam ad rem, ne quod genus officii ad lucrandum Fratrem praetermissum videretur, praefatum Episcopum, antequam ad ulteriora progredieremur, amantissimis litteris ad eum iussu nostro datis ad nos acciendum duximus, polliciti fore ut benevolo animo a nobis exciperetur, nec vetaretur quin, quae in rem suam facere sibi viderentur, libere aperteque exprimeret. Nec vero spes nos omnis deseruerat fieri posse, ut, si quidem animum illum docibilem afferret, quem ex Apostoli sententia in Episcopo maxime Augustinus (2) requirebat, cum simpliciter et candidè (omni remota concertatione et acerbitate) recognoscenda ei proponerentur praecipua doctrinarum capita quae visa essent maiori animadversione digna, tum facile se se ipse colligens non dubitaret, quae ambigue posita essent, in sanio rem sensum exponere, quaeve manifestam pravitatem praeseferrent, aperte repudiare: atque ita, magna cum sui nominis existimatione, tum laetissima bonorum omnium gratulatione, pacatissima qua fieri posset ratione, orti in Ecclesia strepitus optatissima correctione comprimerentur (3).

Nunc vero cum ille oblato beneficio incommodae valetudinis nomine minus utendum sibi esse censuerit, differre iam non possumus quin Apostolico nostro muneri satisfaciamus. Non unius tantummodo alteriusve dioecesis periculum agitur: *Universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur* (4). Undique iam pridem non expectatur modo, verum assiduis repetitis precibus efflagitur supremae apostolicae Sedis iudicium. Absit ut vox Petri in illa umquam Sede sua conticescat, in qua perpetuo vivens ille ac praesidens praestat quaerentibus Fidei veritatem (5). Tuta non est in talibus longior conniventia: quia tantumdem pene criminis est connivere in talibus, quanti est tam irreligiosa praedicare (6). Abscindendum igitur tale vulnus, quo non unum membrum laeditur, sed totum corpus Ecclesiae sauciat (7). Atque divina opitulante pietate providendum, ut, amputatis dissensionibus, Fides catholica inviolata ser-

(1) Epist. 176. num. 4., 178. num. 2. edit. Maurin.

(2) Lib. 4. Bapt. contra Donat. c. 5., et lib. 5. c. 26.

(3) *S. Coelestinus I*, epist. 16. num. 2. apud Coust.

(4) *S. Coelestinus I*, epist. 21. ad Episcopos Galliarum.

(5) *Chrysologus*, epist. ad Eutychem.

(6) *S. Coelestinus I*, epist. 12. num. 2.

(7) Idem, epist. 11. Cyrillo num. 3.

vetur, et, his qui prava defendunt ab errore revocatis, nostra auctoritate quorum Fides probata fuerit, muniantur (1).

Implorato itaque cum assiduis nostris tum et piorum christifidelium privatis publicisque precibus Spiritus Sancti lumine, omnibus plene et mature consideratis, complures ex actis et decretis memoratae Synodi propositiones, doctrinas, sententias, sive expresse traditas, sive per ambiguitatem insinuat, suis (ut praefatum est) cuique appositis notis et censuris, damnandas et reprobandas censuimus, prout hac nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et reprobamus.

Sunt autem quae sequuntur:

DE OBSCURATIONE VERITATUM IN ECCLESIA

Ex decr. de grat. §. 1.

1. Propositio, quae asserit, *postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad Religionem, et quae sunt basis Fidei et moralis doctrinae Iesu Christi;*

Haeretica.

DE POTESTATE COMMUNITATI ECCLESIAE ATTRIBUTA
UT PER HANC PASTORIBUS COMMUNICETUR

Epist. convoc.

2. Propositio, quae statuit, *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum;*

Sic intellecta, ut a communitate fidelium in Pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas:

Haeretica.

DE CAPITIS MINISTERIALIS DENOMINATIONE
ROMANO PONTIFICI ATTRIBUTA

Decr. de Fide §. 2.

3. Insuper, quae statuit, *romanum Pontificem esse caput ministeriale;* Sic explicata, ut romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua, velut Petri Successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiae Caput, pollet in universa Ecclesia;

Haeretica.

(1) S. Leo Magnus, epist. 28. Flaviano CP. num. 2.

DE POTESTATE ECCLESIAE QUOAD CONSTITUENDAM
ET SANCIENDAM EXTERIOREM DISCIPLINAM

Decr. de Fide §§. 15. 14.

4. Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae, transfere-
ndo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad
res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde;*
tum etiam, *multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem
subiectionem suis decretis;*

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet, velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet apostoli, in disciplina exteriori constituenda et sancienda:

Haeretica.

5. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione;

Quatenus intendat, Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriori iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi:*

Ex Bened. XIV. in brevi *Ad assiduas* anni 1753. Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis Regni Polon.

Inducens in systema alias damnatum ut haeticum.

IURA EPISCOPIS PRAETER FAS ATTRIBUTA

Decr. de ord. §. 25.

6. Doctrina Synodi, qua profitetur, *persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a Christo omnia iura necessaria pro bono regimine suae dioecesis;*

Perinde ac si ad bonum regimen cuiusque dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectantes sive ad Fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum ius est penes summos Pontifices et Concilia generalia pro universa Ecclesia;

Schismatica, ad minus erronea.

7. Item, in eo quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem;* idque *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quae adversantur bono ordini dioecesis, maiori gloriae Dei, et maiori aedificationi fidelium;*

Per id quod supponit, Episcopo fas esse proprio suo iudicio et arbitratu

statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt aut probatae, et vim legis obtinent;

Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

8. Item quod et sibi persuasum esse ait, *iura Episcopi a Iesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari nec impediri posse, et, ubi contigerit horum iurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum ac debere in originaria sua iura regredi, quotiescumque id exigit maius bonum suae Ecclesiae;*

In eo quod innuit, iurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate praepediri aut coerceri posse, quandocumque Episcopus proprio iudicio censuerit minus id expedire maiori bono suae Ecclesiae;

Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

IUS PERPERAM TRIBUTUM INFERIORIS ORDINIS SACERDOTIBUS
IN DECRETIS FIDEI ET DISCIPLINAE

Epist. convoc.

9. Doctrina, quae statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis dioecesanis ab Episcopo et parochis aequaliter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subiectionem suggestionibus et iussionibus Episcoporum;*

Falsa, temeraria, Episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi aërianæ a Calvino innovatae.

Ex epist. convoc., ex epist. ad Vicar. for., ex orat. ad Synod. §. 8., ex sess. 5.

10. Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo iudices Fidei, et simul innuitur iudicium in causis Fidei ipsis competere iure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto;

Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum iudiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.

Orat. Synod. §. 8.

11. Sententia enuntians, veteri maiorum instituto, ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiae saecula servato receptum fuisse, *ut decreta, aut definitiones, aut sententiae etiam maiorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et approbatae a Synodo dioecessana;*

Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et haeresim.

CALUMNIAE ADVERSUS ALIQUAS DECISIONES IN MATERIA FIDEI
AB ALIQUOT SAECULIS EMANATAS

De Fide §. 12.

12. Assertiones Synodi complexive acceptae circa decisiones in materia Fidei ab aliquot saeculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari ecclesia vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati Fidei ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia;

Falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in romanos Pontifices et Ecclesiam iniuriosae, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogantes, schismatica, perniciosae, ad minus erroneae.

DE PACE DICTA CLEMENTIS IX.

Orat. Synod. §. 2. in nota.

13. Propositio relata inter acta Synodi, quae innuit Clementem IX. pacem Ecclesiae reddidisse per approbationem distinctionis iuris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII. praescripti;

Falsa, temeraria, Clementi IX. iniuriosa.

14. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, eiusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando;

Temeraria, pernicio, summis Pontificibus iniuriosa, schisma fovens et haeresim.

DE COAGMENTATIONE CORPORIS ECCLESIAE

Append. n. 28.

15. Doctrina, quae proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo Capite et fidelibus, qui sunt eius membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate;*

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate:

Haeretica.

DE STATU INNOCENTIAE

De grat. §§. 4. 7., de Sacram. in gen. §. 1., de Poenit. §. 4.

16. Doctrina Synodi de statu felici innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem,